

Data IV kalendas februarii, anno, Christo propicio,  
imperii domni Hlotharii, pii imperatoris, XXXII et Hlu-  
dovici, gloriosissimi augusti, in Italia II, indictione XV.  
Actum Sex Pilas, curte Regia, in Dei nomine. Amen.

**59. – 852, 1 aprile. Papa Leone IV concede  
l' uso del pallio a Vittore.**

FONTE: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 45, n. 29.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1106 (solo parzialmente).

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Victori, sanctae Gradensis ecclesiae patriarchae. Diebus vitae tuae tantummodo, si pastores ovium sol geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ut, ne que ex eis aut errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectent, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimus, attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiae reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter caeteros iudicemur. Pallium autem fraternitati tuae ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, ecclesiae tuae privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctae ac venerandae resurrectionis domini nostri Yesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum atque beati Baptiste Ioannis, necnon in assumptione beate Dei genitricis Mariae, simulque in dominicae domini nostri Yhesu Christi nativitatis die, pariterque in solemnitatis ecclesiae tuae die, verum etiam et in ordinationis tuae natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo predecessor nostro domino Gregorio, huius almae sedis presule, sanctitum est. In secretarum vero indure fraternitas debeat et ita ad missarum solemnia proficisci et nihil sibi amplius ausum temerarie presumptionis erogare,